



SEPTENTRIO
TRANSILVANIA
 CARPATVS MONS.

H. litera in hac tabula nonnullis vocabulis adiuncta significat ea esse Hungarica.

HANC VLTRA VEL TRANSILVANIAM, QVAE ET PANNONACIA ET DACIA RIPENSIS, VVLGO SIBEMVRGEN DICITVR, edificavit Viennae A. 1566 Nobiliss. atq. Doctiss. Io. Sábucus Pannonius.

Vallis Hatzag vbi olim ciuitas Sarmygethufae.

Romania A-4 (1566, 1570?)

[Arch.]

an. g. v. h. l. / m. h. g. v. s.

TRANSYLVANIA.

D. Stephanus Broderith in opusculo excuso Basileæ simul cum Antonij Bonfinij historia Hungarica, his verbis hanc Regionem describit. Transsylvaniâ Daciæ olim pars; eius caput Alba Iulia, vel à Iulio Cæsare, vel ab Hiula potius quodam Hunnorum Principe, ita dicta. Oppida complura nobilissima, in quibus Cibinium, Brassouia, Colosium, Bistricia, & plura alia, à Germanis, quos nos Saxones appellamus, condita & habitata. In ea sunt Siculi, genus hominum ferox, & bellicosum: inter quos nullus, neque Nobilis, neque rusticus, omnes eodem iure censentur, Heluetiorum instar. Transsylvania ipsa rerum omnium est feracissima, præcipuè auri, argenti & aliorum metallorum; adhæc Salis montani. Equos generat nobilissimos; vino abundat; sed non æquè excellenti, vt Hungaria & Sclauonia. Transsylvaniam duæ cingunt Walachiæ, Transalpina, & Moldauia: illa Danubio; hæc Mari Euxino admota: vtraque cum Transsylvania, eam Europæ nunc occupant partem, quæ olim Dacia erat. Sic totus iste tractus Transdanubialis, qui non solum Hungariam vltiorem, sed Transsylvaniam quoque cum vtraque Walachia continet, Danubio, montibus Carpathiis, Mari Euxino, & rursus eodem Danubio ex omni parte includitur. Hactenus ille. Sed libet etiam eius descriptionem ex Ant. Bonfinij lib. i. Decad. i. rerum Hungaricarum hic adiungere. Trans montes (inquit) Carpathios extrema Daciæ Regio ad Axiacem fluiuium vsque producta, quam nunc Transsylvaniam vocant, pecoris, vini, frumenti, item auri & argenti, feracissima; vbi amnes nonnulli aurea ramenta ferunt, auriq; fragmenta quandoque sesquibralia trahunt, quum montibus sit vndique circumsepta in coronæ speciem. In syluis iubati boues, & vri, ac syluestres etiam equi, vtrisque eorum mira pernitas: at equi iuba sunt ad terram vsque demissa: domesticis per se est mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Regionem hanc habitant Schytæ, partim Saxones, & Daci: minores hi, asperiores contrà illi. Olim Romanis Sarmaticisque colonis, ante Gothorum & Vnnorum eruptionem, tota Dacia complebatur. &c. Vide etiam Georgium Rithaymerum; Pium, ii. in Europæ descriptione; Ioannem Auentinum, & Mart. Cromerum rerum Polonicarum libro. 12. Hæc Regio vulgò vocatur Sibenburgum, & Zipserland, auctore Seb. Munstero.